

Petrus de Vinea

*Ep. V 119 (Milites uestros,
quos ob nostrae reuerentiam...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. V 119 (Milites uestros,
quos ob nostrae reuerentiam...)*

1220-1250

De remissione militum ad suum seruitium transmissorum, cum hortatione.

1. Milites uestros, quos ob nostrae reuerentiam maiestatis ad nostram presentiam uestra deuotio per operum efficaciam satis grata pro seruitiis nostris transmisit, quod acceptum gerimus, prouidimus hylariter ad propria remittendos. 2. Et quia uos inter ceteros fideles nostros de Tuscia ad seruitia nostra fore cognoscimus promptiores, fidem uestram constantem, quam ab experto cognoscimus, dignis duximus laudibus commendandam. 3. Monentes fidelitatem uestram pariter et hortantes, quatenus iuxta solitum morem circa nostrae serenitatis augmentum et obsequia fructuosa uestra parata existat deuotio. Ita, quod ipsa operum efficacia semper in excellentiae nostrae oculis uos commendabiles representet.